



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Cæremoniale FF. Minorum Strictioris Observantiæ Almæ
Provinciæ Saxonæ S. Crucis**

Sächsische Franziskanerprovinz vom Heiligen Kreuz

Nevhsii, 1706

VD18 10502327

Titvlvs IX. De Canone post Consecrationem usque ad Orationem
Dominicam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71672](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71672)

pixis consecrandarum hostiarum, eam aperit & ibi in superiori altaris gradu genuflexus, cum Sacramentum elevatur fimbrias planet. & elevat. & quando opus, se erigens calicem discooperit, & cooperit: non discooperit Calicem, nisi prius Celebrans hostiam post elevationem adoraverit: unde post 2dam adorationem cum Celebrante surgit, & Calicem discooperit: pixidem autem si in ea fuerint hostiæ consecratæ cooperit: & mox iterum genuflectit. Post elevationem Calicis mox ut Celebrans eum deposuit ante secundam adorationem Diaconus surgit, Calicem cooperit, & cum Celebrante genuflectit. Ibid. Subdiaconus genuflectit in loco suo hoc est, inquit GAVANTUS, super infimum altaris gradum, id tamen universaliter intelligi non debet: ordinarie enim non in gradu, sed in plano aut ubi stat, genuflectit, si flectendum. Thuriferarius genuflexus in cornu Epistolæ ter incensat hostiam: hoc est dum Celebrans adorat, elevat, & deponit, eodem modo incensat Calicem: reposito Calice postquam Diaconus cum Sacerdote adoravit, redit ad librum absque genuflexione ibidem; nisi alius assistat. Tunc Diaconus manet ad dexteram Celebrantis: ceteri surgunt, Thuriferarius redit in Sacristiam thuribulum depositurus, & statim rediturus, & stant in locis suis.

Nota hic, quod in sequentibus, Ministris accedentibus ad altare semper præscribatur genuflexio in locis suis seu unde recedunt, nunquam verò ad altare, & econtra ab altari recedentibus genuflexio præscribitur, semper ad altare, & nunquam in locis suis, dum ad ea pervenerint. Vide Rubricas.

TITVLVS IX.

De Canone post Consecrationem usque ad Orationem Dominicam.

N. 4. **C**um Celebrans dicit PER QUEM HÆC OMNIA, &c. Diaconus facta Sacramento genuflexione accedit ad dextram Celebrantis absque

absque genuflexione ibidem, & quando opus est discooperit Calicem & cum Celebrante adorat, simul cooperit & iterum genuflectit. Rubrica clara est. Cum incipit PATER NOSTER vadit retro post celebrantem facta prius, antequam recedat Sacramento genuflexione, ubi post Celebrantem stat, dum dicitur Oratio Dominica, nisi pro vertendo folio servire deberet ad librum, quod semper observandum, & tum ut jam dictum est, prius flectit in loco suo, ministerio verò peracto, flectit ad altare & mox redit ad locum suum post Celebrantem, absque genuflexione ibidem.

TITULUS X.

De Oratione Dominica et aliis usque ad factam Communionem.

N. 8. **C**UM in Oratione Dominica dicitur ET DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA, Diaconus facta ibidem in loco suo post Celebrantem, genuflexione vadit ad dexteram Celebrantis & Subdiaconus circa finem Orationis Dominica circiter ad ET NENOS INDUCAS IN TENTATIONEM, facta item genuflexione in loco suo, revertitur ad altare, scilicet ad cornu Epistolæ ad locum in quo patenam accepit. Ubi Diaconus removens velum à patena, illam dextra capit de manu Subdiaconi, & sinistra purificatorio abstergens, statim finita Oratione Dominica porrigit Celebranti, illius manum osculando & non patenam. Et stans erectus, quando opus est discooperit, & cooperit calicem & cum Celebrante adorat, quod & omnes semper faciunt, Subdiaconus reddita patena Diacono, & deposito velo, quod ab humeris ejus pendeat ad manus Ceroferarii, qui illud plicatum ad credentiam reporrat, genuflectit in cornu Epistolæ ubi patenam tradidit, &c. descendit retro post Celebrantem.

Ibid. Et cum dicitur PAX DOMINI iterum genuflectit, Subdiaconus in loco suo, accedit ad sinistram Celebrantis & simul dicunt AGNUS DEI. Ministri quidem cum Celebrante percutiunt pectus, sed manus sinistra